

Admodum Illustri, ac Reverendiss.

PATRI MAGISTRO

FR. NICOLAO RICCARDIO

Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici

MAGISTRO DIGNISSIMO,

Paulus Zacchias Medicus F.

Recisti, ut tui Iuris fieret argumentum hoc, quod maxime à re, & conditione tua videri poterat alienum, dum auctor mihi, ac præmonstrator fuisti nonnulla hic ex intimis sacræ Theologiæ Thesauris interferendi, quæ veluti micantes gemmæ legentium oculos perfringerent. Si quid ergo inter hæc nullo splendore insignia collucere videatur, id totum Tibi acceptum referendum est, ex quo tanquam ex perenni fonte uberrimi incomparabilis doctrinæ latices quotidie emanare conspiciamus. Me interim, qui inter ex me nata monstra tuæ scientiæ monstruositatem sum admiratus, præ cæteris omnibus Te observare, atque admirari sciens, hæc quæ in obsequium devinctissimi Tibi animi offero, libenter excipito, ac vale.

L I

LIBRI SEPTIMI
TITVLVS TERTIVS,

De Debito Conjugali.

S V M M A R I V M.

- 1 Coniuges tenentur ad mutuam debiti redditionem, & negantes reddere debitum, absque iusta causa, peccant mortaliter. & num. 4.
- 2 Modus concubendi, qui generationem impedit, peccatum mortale inducit.
- 3 Coniuges non tenentur reddere debitum cum proprie salutis detrimento.
- 4 Venus optimus dissidii conjugalis Medicus.
- 5 Coniuges quando teneantur reddere debitum.
- 6 Copula Matrimonialis secundum aliquos non est licita diebus festis.
- 7 Coitus quibusdam temporibus maxime nocuus.
- 8 Ex qualitate temporis quando Vir à coitu ledatur.
- 9 Debitum quoties reddendum.
- 10 Exaltio debiti vel tacita est, vel expressa.
- 11 Tacita exaltio ex quibus signis deprehendi possit.
- 12 Immoderate petere non eodem modo dicitur vir, ut uxor.
- 13 Mulier an teneatur reddendo debito semen & ipsa emittere.
- 14 Filiorum procreatio est præcipuus Matrimonii finis.
- 15 Semen muliere requiri ad generationem.
- 16 Fœmina neque habere, neque habere debuerit semen ex Aristotele.
- 17 Conceptio succedit absque ea voluptate, quam femine in emissionem seminis percipiunt.
- 18 Species verum non miscetur.
- 19 Fœmina habet ut mas omnia infirmita, que ad semen conficiendum, conservandum, ejaculandum requiruntur.
- 20 Quælibet res est propter suam operationem.
- 21 Seminis effectus idem in fœmina, ac in mas.
- 22 Fœmina testibus abscissis non generat.
- 23 Fœminarum semen esse verum, & perfectum semen.
- 24 Generans geniti formam procreat.
- 25 Cuius est dare formam illius est actio, quia forma est actio agentis.
- 26 In feminibus in se forma factus in potentia.
- 27 Forma non sequitur naturam materic.
- 28 Si fœmina non haberet activitatem in generatione, Natura nunquam intendere generare feminam.
- 29 Fœmina generatur per accidens.
- 30 Semen fœmina concurrens ad generationem ut agens, & ut materia.
- 31 Fœmina quomodo absque voluptate cum proprio semine concurrant ad generationem.
- 32 Semen nuntiquodque per se est partialis tantum causa.
- 33 Semen fœmineum ex se absque masculo non generat, quia non concipitur.
- 34 Beatissima Virgo fuit vera, ac perfectissima Christi Mater, ut omnes alie matres sunt.
- 35 Maria Virgo non mente solum, sed etiam corpore fuit semper Virgo.
- 36 Christi Domini incarnatio partim naturalis, partim miraculosa.
- 37 Naturalis modus reddendi debitum qui sit, & num. 41.
- 38 Naturalem modum coeundi esse Venere exercere à parte postica falsum, contra Lucretium, & Mercurialem.
- 39 Naturalis modus concubendi est qui magis facit ad generationem.
- 40 Deviatio à naturali modo concubendi utrum etiam sit culpabilis, in quibus nulla speratur generatio.
- 41 Coitus factus sola voluptatis causa peccatum inferit ex aliquorum Canonistarum opinione.
- 42 Coitus non est ob voluptatem utendum.
- 43 Coitum Natura non instituit ad delebenda animalia, sed voluptatem in coitu posuit, ut alliceretur ad coitum.
- 44 Non omnis deviatio à naturali concubendi modo impedit generationem.
- 45 Potest deviare in concubitu à naturali modo ad hoc, ut sic facilius sequatur conceptio.
- 46 Ex parte tantum seminis potest fieri conceptio.
- 47 Generationem in nulla coeundi ratione impediri, dummodo coitus in naturali vase celebretur, falsum.
- 48 Ad concubitum in latere celebratum difficillime sequitur conceptio.
- 49 Concubendi quidam modi non solum conceptionem impediunt, sed sanitati etiam maxime efficiunt.
- 50 Quinam concubendi modi magis, aut minus generationem impediunt, qui item magis, aut minus sanitati nocent.
- 51 Concubitus, qui erectis hominibus sunt, conceptionem impediunt, & sanitati maxime nocent.
- 52 Qui modus præ cæteris conceptionem simul impedit, & sanitati pariter sit nocuus.

Quando, quantum, quomodo debitum conjugale sit reddendum.

Q V Æ S T I O I.

Qui sancto Matrimonii vinculo copulantur cum ad plura invicem præstanda, tenentur tum vel maxime ex Iustitia ad debiti conjugalis mutuam redditionem, eamque ob causam mortaliter peccant quotiescunque huiusmodi debitum reddere absque legitima causa negant, ut ex communissima dicunt DD. Navar. in Manual. cap. 16. num. 25. Summa Sylvestrina par. 1. verbo debitum conjugale num. 1. Sanchez de Matrim. lib. 9. disp. 2. num. 4. Coninc. de Sacram. disp. 34. dub. 2. num. 17. Alphonf. Vivald. in Candel. Alt. par. 1. tit. 17. rubr. de reddit. deb. Matrim. num. 5. Pontius de Matrim. num. 10. cap. 2. num. 4. Bonaccin. eodem tractatu quæst. 4. punct. 1. ij. Y y num. 1.

num. 1. Multa autem circa hanc materiam à Canonistis pertractantur, de quibus cum Medicus ex arte determinare possit, illi ejus iudicium requirunt. nam occurrit aliquando dubitare, an Veneris usus hoc, aut illo modo, qui à naturali recedat, celebratus, impedire possit generationem, necne; quia ubi generationem impediatur, mortale intervenire peccatum volunt, nisi iusta aliqua ex causa id fiat. Coninc. ubi supra disp. 34. dub. 9. concl. 9. num. 80. & elicitur ex D. Thom. 2. 2. quaest. 154. art. 12. Lessius de Iustit. & Iur. lib. 4. cap. 3. dub. 13. num. 89. vers. Quinto. Sanchez de Matrim. disp. 16. num. 5. lib. 9. Pontius ibid. lib. 10. cap. 11. num. 2. Scire ergo per necessarium videtur, & ex Medicis expectandum, quinam concumbendi modus aut profusus, aut ex parte, aut facilius, aut difficilius conceptionem impediatur.

Præterea quia, ut post alios ex Riccardo Pontius ubi supra num. 2. Deus non vult conjuges invicem obligari in his, quæ contra rectam Naturæ inclinationem sunt, quæ est prius, & ante omnia se ipsam servare, idcirco neuter eorum ob ejus mandatum reddendi debitum ad invicem tenetur reddere cum propria salutis detrimento. Scotus in lib. 4. sentent. dist. 32. quaest. unica. D. Thom. ex quo Sanchez ubi supra dist. 24. num. 2. Pontius loco cit. cap. 14. num. 3. Coninc. de Sacram. disp. 34. dub. 3. num. 20. Bonacc. ibid. q. 4. num. 6. & ex nostris Epiphani. Ferd. lib. 3. Theorem. undecimo, verum quando possit, & quale damnum ex coitu alterutri ex conjugibus, evenire, absque dubio ad Medicum spectat determinare, ut firmabat idem Pontius loco citato. Nonnulla insuper sunt, quæ sub mortalis culpæ reatu prohibent alterutrum ex conjugibus exigere, aliquando etiam reddere debitum, alia, quæ simul & reddere, & exigere, quorum etiam plura ad Medicum pertinet considerare, ac pleraque alia, quæ dubium faciunt, in ea re offeruntur, quorum determinatio à Medico proferenda est; de hoc igitur argumento etiam Medico quantum sua interest pertractandum.

Iam vero in principio hujus argumenti ex receptissima Canonistarum sententia, immo ex divinæ sapientiæ decreto monuimus, Conjuges teneri ad mutuum conjugalis debiti redditionem, quam quidem vel quod filiorum procreationem, vel quod Iustitiæ satisfactionem, vel quod stimulorum veneriorum refrenationem, vel quod reciprocam conjugum dilectionem in Matrimonio spectemus, ad eorum singula comperimus esse apprime necessariam; nam constat ex ea, & non aliter conjuges prolem sperare posse, nec aliter, aut alio modo Iustitiæ debito satisfieri, neque ullo aptiori medio Veneris aculeos retundi posse, neque per aliud quodvis medium, quam per hoc mutuum conjugum amorem fovendi, nam idcirco dictum est à Plutarcho in præcept. Connubial. num. 40. Venerem esse optimum dissidii conjugalis Medicum; debiti itaque Matrimonialis redditionem his omnibus Matrimonii finibus plenissime satisfacere certum est.

Cum ergo debitum à Conjugibus sit omnino ad invicem reddendum, determinandum deinceps est quando, quantum, quomodo, sit reddendum. consentaneum enim est modum, ac regulam quamdam in his tradendam esse, neque indifferenter omni tempore, nec quantum alterutri libuerit, nec quomodo libuerit reddendum esse; sed tunc tandem contra Iustitiam, & rectum eos facere, cum

à prædicta regulâ deficiunt, circa quando igitur absolute dicunt DD. Conjuges teneri ad reddendum debitum quandoocunque, ut ex D. Thoma Brunell. de Spons. & Matrim. concl. 8. num. 10. in tempore tamen considerari possunt varæ qualitates, primo autem aut tempus universale est, ut quot quatuor Anni tempestates comprehendit, aut particulare ipsius diei. ulterius considerari potest tempus vel ut habens aliquam naturalem qualitatem, ut calidi, frigidi, humidi, sicci, nocturnam, aut diurnam, vel ut habens aliquam qualitatem ex accidenti, ut quod à prandio sit, vel à cena, vel quod festum sit, aut nefastum; de hac tamen posteriori qualitate nihil ad Medicum considerare spectat, licet supervacaneum non existimem admonere, voluisse Canonistarum nonnullos copulam Matrimoniale non esse licitam diebus festis, ut multis probat Tiraquellus deleg. Connub. lib. 15. Glof. 1. num. 111. & seq. ubi etiam apud Gentiles id moris fuisse, ut festis quibusdam, solemnibusque diebus uxoribus abstinerent restantur multa ab ipso recollecta auctoritates, quas apud ipsum vide, nam ego ne aliena transcripsisse videar, etiam nonnulla à meipso adnotata hic prætereo, quæ & ab ipso referuntur, ut illa Juvenal. carmina, sat. 6.

*Ille petit veniam quoties non abstinet uxori
Concubini, sacris observandisque diebus.*
Si tamen circa id alia desideras vide Suarez de vir. & stat. Relig. lib. 2. cap. 18. num. 4.

De qualitate autem temporis naturali constat, quibusdam temporibus coitum esse maxime noxium, & Medici quidem laudantes pro coitu tempus vernum, aliis anni temporibus ab eo abstinere jubent, neque dubium est summis fervoribus, rigidisque algoribus vigentibus notabile afferre nocuum maxime in non astrictis; sed licet de particularibus nihil quicquam certi determinari possit, tamen dicendum ex hac temporum qualitate virum saltem à consueto parumper Veneris usum remorari debere, quia si tam frequenter utatur in æstate ferventi, in Autumno intemperato, in Hyeme rigida, ut in Vere, certe non evitabit notabile nocuum, quo stante iusta ex hoc excusatio emergit, unde si exempli gratia, consuevit Vir Venere uti singulis diebus absque noxa, poterit æstu aut algore vigente bis singulis hebdomadis, aut moderatiori tempestate alterius diebus tuto illa uti, neque tenebitur, etiam petente uxore, frequentius uti, quia tunc dicitur uxor immoderate, & indiserete exigere, periculo, de quo supra, ex redditione viro imminente. sed hæc pro exemplo sint, nam particularia juxta virium, temperamentorum, ætatum, consuetudinis. Regionis qualitatem sunt determinanda; nam unum temperamentum magis quam aliud Veneris laboribus aptum, & una ætas aptior alia, & sic de singulis; in omnibus tamen Virium præcipua ratio habenda, & juxta earum robur de his sententia ferenda est. illud tantum addendum est, accidentalem, sed contrariam temporis qualitatem nempe quando Hyems calida, Ætas frigida esset, posse etiam interdum iusto impedimento esse; non enim ex eo quod naturalis temporis qualitas ab accidentali temperari videatur, idcirco dicendum non magno nocuum coitum esse posse; quia accidentales hujusmodi qualitates extra naturam temporum prædominantes corporibus sunt inimicissimæ, unde

unde individuorum Naturæ notabiliter ab eis laeduntur, quapropter consentaneum est, eas à coitu tum temporis majorem in modum lædi. Ex accidenti etiam fit, ut temporis pestilentia, aut Epidemia conjugatur, & communis Medicorum opinio est tunc temporis, vigente nempe aut Peste, aut Epidemia, coitum esse ex magis lædentibus sanitatem, ut dixi lib. 3. tit. 3. q. 4. num. 15. licet non desint, qui adstruunt, tunc temporis abstinentiam à coitu consuetis esse perniciosam, & ex ea potissima causa nonnullos pestem contraxisse.

Ceterum circa quantum reddendum sit debitum duo sese offerunt consideranda, quantum nimirum discretum, & quantum continuum. circa quantum discretum, hoc est, quoties sit reddendum debitum, dicunt Canonistæ, toties reddendum, quoties moderate, & discretè exigitur; moderate autem, & discretè exigere dicuntur conjuges, quoties qui reddere debet absque propria salutis detrimento reddere potest. sed adverte id, quod iidem Canonistæ admonere non desisterunt, exactiorem nempe hanc vel posse esse expressam, vel tacitam, maxime ex parte mulieris: mulieres enim, de honestis loquor, vir ex procreantibus deveniunt, ut expressis verbis, aut actibus à viris suis debitum exigant, idcirco cum non expresse exigunt, quibusdam tamen modo, & verbis tacite exigunt, viri tamen etiam huic tacite exactiōni tenentur satisfacere, Sanchez ubi supra lib. 9. disp. 2. num. 4. Coninc. de Sacrament. disp. 34. dub. 2. num. 17. Alphons. Vivald. in Candel. Aur. par. 1. tit. 17. rubr. de redd. debiti. conjug. num. 7. videndum ergo quibus signis, ac conjecturis dignoscatur à viro possit hæc tacita uxoris exactio, quorum signorum, conjecturarumque nonnullas Medici subministrare possumus; licet profecto nunquam tam bardus homo sit, quin ex se id ipsam maxime ex consuetudine conjectari possit. tamen solent mulieres cum illis veneris libido incessit, viros circa amatoria facile interpellare, zelotypiam causantur, sese ultro illis dedunt, illisque blandiuntur; corporis partes quasi per incuriam deudatas apparere permittunt, peccus, & mammae & incalecunt, & tumentiores apparent, alacriores consueto sunt, facie rubent, oculi illis nitore fulgescunt, & si majori ardore coeundi detineantur, balbutire videntur, extra rem loqui, ac vir mente constare; loca illis insuper incalecunt, ac tumescunt, quæ si viro nota sint, dissimulare jam, neque ad debitum opus devenire, omnino non curantis debito satisfacere hominis est. sed etiam ex parte viri, qui verecundia detineretur, revereturque uxorem, tacite hujusce exactiōnis proportionales conjecturæ, præter membrum erectionem, elucescunt, quibus etiam mulier admonita ex parte sua ita operari tenetur, ut vir, minuta verecundia, debitum exigere tuto possit, quod facile succedet mulieris ipsius blandimentis, & illectamentis, quibus virum excipere conari debet.

Adverte secundo, non parum esse rationem immoderate petendi in viro, ac muliere; cum enim, ut luculentius dicemus suo loco, vir ex coitu maxime dissolvatur, ac debilitetur, neque unquam illum exerceat sine proprii seminis emissionem, mulier autem contra parum debilitetur, & multoties absque proprii seminis emissionem venere utatur, fit, ut exactio ex parte femine immoderate dici possit

exempli gratia, si bis singulis diebus aut etiam semel exigat, quæ tamen ex parte viri immoderate non diceretur etiam si decies singulis diebus exigeret, nisi tamen quid ex parte mulieris obflaret.

Circa quantum continuum dubitatur primo, an vir teneatur copulam continuare, postquam ipse feminaverit, donec mulier quoque semen emittat, & idem etiam dubium occurrere potest circa uxorem, an nimirum teneatur ipsa postquam proprium desiderium expleverit emissionem seminis, virum expectare, qui emittat; sed de utraque hac dubii parte dicam quaestione ultima, cum de ea re sermo incidet.

Secundo dubitari potest, an mulier ita teneatur reddere debitum, ut, nisi semen emittat, non dicatur reddidisse, sic & de viro dubitari potest, an dicatur debito satisfecisse, si cum uxore congressus quidem sit, & illa semen emisit, ipse vero nequaquam. Sed de hac posteriori parte alias; quoad priorem nempe quantum ad id, quod ad mulierem spectat, ratio dubitandi est, quia conjuges videntur teneri quantum est se procurare, ut ex eorum copula sequatur generatio, cum hic sit præcipuus matrimonii finis; at hæc sequi non potest absque eo quod mulier semine proprio in coitu concurrat, tenebitur ergo copulam continuare, donec semen effundat, ut quantum est ex se eo congressu sequatur generatio. Sed huic dubitationi respondendum videtur, salvo semper saniori iudicio, aliud esse debitum reddere, aliud uti matrimonio ad hunc finem, ut sequatur generatio. dicendum ergo mulierem debito satisfacere, si cum viro congregiatur absque eo quod semen proprium effundat, satisque esse, si ipsa semen data opera non retineat, ne sequatur generatio, aut alio quocunque actu ipsam generationem impediatur, & licet, ubi spes est generationis mulier conari debeat, ut semen effundat, alias frustra viro congressura, tamen obligationi reddendi debitum videtur satisfacere, si ipsa sibi impedimento non sit, ne effundat, quippe cum impediendo proprii seminis emissionem, omnino impeditur generatio, absque eo enim succedere non potest; quoniam mulieris semen requiri ad generationem apud Medicos communissima, ac receptissima sententia est, ita ut mirari subeat Pontium lib. 10. cap. 11. num. 3. & Diana Miscellan. tract. 3. resol. 38. & alios firmantes, semen muliebri non concurrere active ad generationem ex receptiori Philosophorum, & Medicorum opinione; videntur enim hi DD. quicumque tandem sint, classici Medicos, ac plerisque Philosophos non legisse; quia tamen video quam plurimos aliarum scientiarum Professores ea hæresi detineri, quod semen muliebri neque active concurrat, neque sit necessarium ad generationem, lubet tantisper in hac re immorari, ut Iurisperitis rem gratam faciam, qui hæc non adeo in promptu ex Medicis habent, breviter enim ea, quæ prolixè ab ipsis Medicis in hac materia producuntur, recensere, & si quid aliud circa hoc mihi occurrit, ut veritatis lumine in hac re & ipsi proficiantur.

Digressio de semine femineo.

Licet Philosophi nonnulli ante, & post Aristotelem negaverint feminas semen habere, aut

aut quid ad generationem illud conferre, ipse tamen Aristoteles præ cæteris hanc opinionem secutus est, eamque multis in medium productis rationibus pro viribus tueri studuit: nam non solum negavit feminas semen habere, sed probavit etiam nonnullis argumentis non debuisse habere, dicens, Si semen esset, menstrua non essent, nunc autem ideo menstrua sunt, quia semen non est. quod vero à feminis in coitu cum voluptate excernitur, non esse semen, sed crudam quandam materiam credidit partis ipsius propriam, cum semen contra sit quid maxime concoctum. neque debere feminas habere semen ulterius probavit, quia si haberent, vel concurreret ad generationem, ut agens, vel ut materia, non ut agens, quia cum agens in generatione sit semen Maris, disconueniens est uni materiæ, & uni effectui respondere duo agentia. neque ut materia, superfluum enim est menstruis pro materia existentibus. nullo ergo modo semen femineum concurrere debuit ad generationem, frustra ergo Natura illud in femina procreasset, quod non est affirmandum.

Præterea si semen femineum ad generationem necessario concurreret, nunquam fieret generatio absque feminæ voluptate; cum neque semen absque voluptate emittatur, neque generatio absque semine succedat, sed generatio succedit sine ea voluptate, quæ ex feminis expulsiōe fit, ergo succedit etiam sine semine. Adde feminam semen habentem activitate dotata, omnino ex se generare posse, nam non deficiente agente, neque loco ad id apto, neque materia, quid impedimento est, quo minus femina ex se suo proprio ex femine generare possit?

His argumentis, & rationibus alias addiderunt qui Aristotelem secuti sunt Philosophi, quas ego prætermitto, ne res brevibus hic transigenda in longum protrahatur, sed non relinquam adducere quæ protulit Scaliger, nempe subsequentiæ. Species rerum non miscentur, & ex duobus entibus per se non potest unum ens per se fieri. ac femine active ad generationem; & speciei miscerentur, & ex duobus entibus per se fieret unum, quod repugnat. Ex quibus elicitur aut feminam semen non habere, aut si habeat quidem, improprie semen dici, quod ad generationem nihil conferat, aut ad summum active non concurrat. Vere tamen dictum est ab Emilio Parisano de *Microcosm. subtilit. lib. 1. exercit. 6. cap. 2.* Philosophos hoc post Aristotelem, non ex naturæ, sed ex eisdem Aristotelis libro hoc saxum volutare, non mirum ergo si tantopere à veritatis scopo aberraverint. Medici enim qui Naturæ librum in Anatomicis dissectionibus susque deque evoluerunt, multo facilius veritatem affecti, eam aliis professoribus propalare potuerunt, plerisque tamen in Aristotelis verba tam firmiter iurasse comperies, ut sensui potius, quam Aristotelis contradicere eligant. qui vero particularium hominum opinionibus veritatem præferendam existimat, audiatur quæ à Medicis pro eisdem veritatis tutela in hac re in medium producuntur. Femina habet omnia instrumenta, quæ ad semen perfectum, aptissimumque ad generationem procreandum potuerunt à Natura fabricari, cum autem à Natura nihil frustra fiat, sed qualibet res sit propter suam opera-

tionem 2. Cœli. *tex. 17.* certe ne hæc instrumenta frustra facta dicamus, dicendum est, quod fabricata sint propter seminis confectionem, quæ propria est operatio eorundem instrumentorum. Cæterum ita se rem habere sensus ipse demonstrat; nam in feminis sunt primum vasa defunctoria materiam sanguinis venalis, & arterialis à vena magna, & arteria magna, ut in maribus, quam ad Testes deducunt, qui in feminis etiam, ut in maribus eandem ipsam materiam recipientes ulterius conficiunt, ac concoquunt. licet in nonnullis discrepent Testes feminei à masculis, scilicet figura, quia rotundiores, & compressiores; situ, quia intus hinc inde ad uteri latera conduntur; magnitudine, quia minores; temperamento, quia frigidiores, substantia, quia molliores; structura, quia simpliciores, unicam enim tunicam non quadruplicem fortiantur, & epididymide etiam molliore dotantur, nempe varicoso quodam corpore testi quasi adstante ad concoquendum, dealbandumque semen destinato, paratas hæc corpora vocant. sed præterea in feminis adfunt item vasa à superioribus, quæ præparantia dicuntur, enata, vocataque deferentia, aut ejaculantia ad semen ejaculandum, ut in Maribus destinata, quamquam hæc in feminis ad uterum, in Maribus ad vesicæ collem terminantur: nam Marem oportuit extra se semen per Penem ejaculari, feminam in se, nempe in proprium uterum. Nec solum denique vasa in feminis apparent eadem, quæ in maribus, sed etiam ipsissimum semen in testibus album, atque exquisitè, prout femineæ naturæ conditio fert, concoctum; & tamen his omnibus non obstantibus adhuc contendunt aliqui, materiam illam semen non esse, sed humiditatem quandam, crudamque materiam generationi ineptam, totque vasa ad hanc materiam elaborandam Naturam procreasse volunt, ut ex ejus materie emissionem etiam feminæ voluptate perfunderent, & per eam voluptatem ad venerem alicerentur. minimi autem sciunt, quod hæc eadem materia eisdem omnino effectus producat in feminis, ac in maribus. jam enim ea turgente feminas quasi furis actas marem appetere norunt; maribus commixtas ejus materiæ ejaculatione summa voluptate perfundi sciunt, eadem materia deposita veneris desiderium in ipsis, ut in maribus refrænari notum habent; ejus multa effusione ipsas etiam viribus destituit, spiritusque in ipsis dissolvi dissimulare non possunt, quod etiam testatur Avic. *2. 1. tract. 3. cap. 15.* defraudatur enim earum corpus universum sanguinis, & spirituum purissima portione, accedente etiam voluptate, quæ vel sola idonea est ad vitales vires dissolvendas. Galen. *1. de sem. cap. 16.* voluptates enim, quæ ad rem veneream spectant omnium maximæ habentur, Athenæus *Deipnosoph. lib. 12. cap. 1.* & tamen adhuc perveraci animo negant, semen femineum semen vere esse, sed æquivocè semen esse volunt, & idcirco infocundum. Verumenimvero à Philosophantibus in hoc maxime peccari deplorandum est, ut inter Philosophandum non quomodo rerum veritatem assequantur satagant, sed quomodo hujus, aut illius Sapientis, aut Præceptoris sententiam pro vera tueantur: at hoc patrocinari medijs fidijs est, non Philosophari est; servimus quidem hoc pacto alieno ingenio, nostro autem

autem veritati non invigilamus, inde fit ut vel ipsum sensum negare aliqui sint parati, dummodo Præceptorum suorum sententias falsas esse non fateantur. quid mirum ergo si neque predicta, neque alia quamplura hujusmodi farinæ homines à sua pertinacia dimovere non possint? femineos testes etiam æquivocè testes esse volunt, quod si objicias ex eorum abscissione feminam ad venerem non stimulari, non amplius generare, quemadmodum neque mas, isdem abscissis, ad venerem agit, neque generationi est aptus, promptam habent responsum, id in feminis evenire ex læsione vicinarum partium, & retractione cæterorum vasorum ad generationem faciendum.

Porro autem semen feminarum verum esse, ac perfectum semen materia primum, ex qua fit, satis clare demonstrare potest: si enim, ut Aristoteles ipse inculcabat, semen est quid summe, ac perfecte concoctum, jam cum materia feminalis in femina desumatur ex maxime concocto, & elaborato sanguine, tam venali, quam arteriali, quæ etiam in ipsis postmodum testibus majorem coctionem acquirit, patet eam materiam femineam naturam esse adeptam eodem modo, quo ipse idem sanguis per eadem vasa in maribus ad testis delatus in semen per ulteriorem concoctionem evadit. itaque materia illa alba, quæ in feminarum testibus reperitur, & quam per ejaculantia vasa illa in coitu effundunt, non solum non erit materia cruda, ut voluit Aristoteles, & cum eo plures ejus sequaces, sed erit materia quovis venoso, ac arterioso sanguine magis; ac exquisitius concocta, & elaborata. cum ergo hæc materia sit omni optimo sanguine perfectior, quanto magis perfectione superabit sanguinem menstruum, cum non è venoso tantum, sed arterioso sanguine componatur, quod non videtur affectus Petr. Vrtado de *Mondoza. de Generat. & corrupt. disp. 2. sect. 5. subtil. 1.* qui credit feminis materiam ex venoso tantum sanguine depromi; nisi per venosam genus intelligat etiam arterias. Non desunt vero, qui, ut suam opinionem tueantur, videntes, non posse se negare feminas semen habere, dixerunt, illud esse imperfectum; sed contra ex prædictis patet, semen femineum non minus perfecte semen esse, quam sit semen maris; quemadmodum enim masculinum semen, quia ex sanguine calidiori, & robustiori desumitur, & à vividiori calore conficitur, magis idem calidum, ac robustius est, magisque excoctum, sic & semen femineum, quia ex minus calido, minusque robusto sanguine desumitur, & à moderatiori calore perficitur, minus item calidum, minusque robustum est; sed quemadmodum se habet semen masculinum ad sanguinem femineum; & quemadmodum non ob id, quod minus calidum sit, minusque excoctus respectu masculi, sanguis femineus sanguis dici non meretur, sic neque semen femineum non ob id, quod masculino minus calidum, minusque excoctum sit semen dici non debet, sed immo est verum, ac perfectum semen in suo genere, ut sanguis est perfectus sanguis, licet Reald. Columb. *de re Anat. lib. 12.* asserat in feminis semen reperisse se adeo concoctum, album, ac crassum, ut tale in viris non inveniret.

At vero non desunt alii permultæ, ac maximi quidem ponderis rationes commonstrantes, feminas non solum unum, ac perfectum semen habere, sed illud esse ita generationi necessarium, ut & tanquam materia, & tanquam agens etiam in ea concurrat; & relictis his, quas Galenus, & alii in medium producerunt, validissimas quidem, quæ per se convincere possunt, & quas unumquique apud Auctores ipsos requirere poterit de hac materia ex professo tractantes, quorum catalogum infra habes, nonnullas ego Philosophicas cum Philosophis certamen instituens, ultra productas producam.

Primo ergo si femina non concurrunt active ad generationem, falso dicitur generare, quia non agens in generatione non generat, generare enim dicit actionem, unde forma est actio agentis 2. *de 5. anim. tex. 24. ubi Averr. & generans geniti formam procreat. 3. Phys. tex. 17.* idque dicitur generans, quod dat corpori generato suam formam, & omnia consequentia formam, Averr. 8. *Phys. comm. 32. & 3. Cæli comm. 28.* aut ergo femina non potest dici generare, aut si verè generans dicitur, dabit formam generato, & sic active concurreret ad generationem. si ergo concurreret active certe non menstruo, quod est tantum materia, concurreret ergo femine, ut mas. Præterea proponamus nobis ante oculos animal ex parentibus diversæ speciei genitum, ac semper illud veritatem habere conperiemus, hoc animal se tenere magis ex parte Matris, quam ex parte Patris, sic ex Hirco, & Ove nascitur Ovis, ex Capra, & Ariete Capra, ex masculo Cane, & Vulpe, Vulpina proles, ex Vulpe mare, & Cane femina canina gignitur, quod ut magis etiam palam fiat, fume mihi animal natum ex parentibus diversis generis, ut ex Patre ruminante, & matre solidungula, quale est mulus natus ex Tauro, & Equa, jam semper ex talibus parentibus solidungulum foetum nasci conspicias. de eo autem, ne fabulam credas, testantur Jacob. Rueff. *lib. 5. de mulieb. cap. 3.* Cardan. *lib. 2. contrad. Medic. tract. 6. contr. 18.* Parisanus *mobit. exerc. de subtil. lib. 2. exerc. 3. cap. 3.* quem nos etiam vidimus, ut testatur historia superiori titulo enarrata. tunc ergo sic arguo. Cujus est dare formam illius est actio, cum forma, ut diximus, sit actio agentis, sed specificam formam foetus ex hac conjunctione suscepto tribuit Mater. ergo Matris fuit actio communicatio formæ.

Major quidem non controversatur, minor probatur, vel ipso sensu demonstrante, nam characterem speciei foetus hic à matre habet, ita ut potius solidungulis sit, quam ruminans, ergo consequentia est bona, quod communicatio formæ fuerit actio Matris, sed mater non concurrat ad agendum materia, nempe Menstruo, concurreret ergo femine.

Insuper in femine inest forma foetus in potentia, quæ per aliquod agens extrahitur de materia ad actum; retento igitur supradicto exemplo, sic arguo. Forma hujus foetus vel erat in femine Tauri, vel in materia præstita à matre in generatione. non in femine Tauri, quia esset magnum absurdum affirmare, femina continere in potentia formas alienas, nam sic posset ex quolibet femine quælibet forma extrahi. ergo forma erat in materia à matre decisa, & sic materia generaret formam, quod est

est non minus absurdum. oportebit ergo quod cum forma deducta ex femine non sit deducta ex femine Patris, deducta fuerit ex femine Matris, cum similibus procreata sit forma Matris.

Vterius forma aliquando sequitur naturam ejus, quod mater in generatione subministrat, ut pater non solum in praedicto assumptio, sed etiam in alio, quod est ipsius Aristot. lib. 2. de Gener. anim. cap. 4. & de quo Card. lib. 2. contr. Med. contr. 18. & est hujusmodi, animalia specie differentia, & tertium quid generantia, primos partus sibi similes edunt communi generis utriusque specie, quales ex Vulpe, & Cane generantur, aut ex Perdice, & Galinaceo, sed tempore procedente diversi ex diversis provenientes, demum forma feminae instituti evadunt, modo hoc non potest esse ex materia, quia forma non sequitur naturam materiae 5. de Gener. anim. cap. 1. & alibi saepe Averr. in 2. Phys. comm. 74. & 87. & alibi. ergo mater subministrat aliquid in generatione, quod non est materia, sed habet vim agentis, quod est semen. Minorem propositionis illam partem, quod forma non sequatur naturam materiae, defendit pluries ipse Aristoteles contra antiquos, non debet ergo ab eo, vel ejus sequacibus controverti. Forma igitur feminae non potuit feminibus communicari à mare alterius speciei, quia nemo dat quod non habet, communicata ergo fuit à femina, & sic femina in generatione habet vim agentis. Praeterea in ovo inest duplex materia, altera pro nutrimento alterius, utrunque velis, ita ut una sit tanquam agens, alia tanquam materia, sed utraque haec materia deciditur à matre, quia etiam absque ope maris in ovis utraque invenitur, ergo mater non solum subministrat materiam, sed etiam insuper aliquid aliud, quod vim agentis habere conspicitur. Etiam si autem Hier. Fabrit. in lib. de format. ovi, & pulli, cap. 2. voluerit neutrum horum, hoc est, neque vitellum, neque albumen esse materiam, ex qua vel nascatur, vel corporetur pullus, sed utrumque esse tantum materiam nutritionis pulli, tamen pro nunc communissima sententia acceptata, quod alterum alterius in nutrimentum facessat, praedicta quidem recte procedere debent.

Denique si femina nullam haberet activitatem in generatione, Natura nunquam intenderet generare feminam, ponens enim activitatem tantum, & dans vim generandi tantum. Mari ex parte sui feminis, secundum ejus intentionem, quae est simile semper generare sibi simile, nunquam debuit generari nisi Mas, femina autem casu, & ex accidenti, quod non dubitat affirmare Aristoteles. sed certe contra est, quia Natura non magis intendit generare Marem, quam feminam, oportuit ergo, ut femina feminam generare posset, habere illam activitatem in generatione, qua generaret sibi similem. De majori propositione nullum intercedere debet dubium, est enim conformis Aristotelis doctrinae, unde facile per ipsum conceditur, quod inde deduximus, nempe feminam casu, & non ex intentione Naturae generari, quae semper intendit perfectius, generatur enim ex ipso femina, cum Maris semen deficit à sua naturali perfectione, ob quem defectum mari sibi similem generare non potest. Sed minor probatur, qui intendit finem, intendit media ad finem, alias frustra intenderet finem. sed Natura in generatione intendit

pro fine specierum conservationem, cum idcirco animalibus data sit generatio, quod numero perpetuari non possent. 2. de Gener. animal. cap. 1. ergo intendit Natura etiam media ad hanc specierum conservationem, sed haec media sunt tam masculina quam femina, cum tam haec, quam ille sint generationis gratia, ut ibidem habetur, ergo Natura intendit generare tam marem, quam feminam, neque femina casu fieri dici potest. si ergo femina à Natura intenditur, necesse est illam non minus ac marem active in generatione concurrere, ut non praeferat Naturae intentionem ejus generatio succedat.

Relinquam autem data opera alia argumenta à Galeno primum, ab aliisque adducta, ut quod ex similitudine nati ad Matrem desinitur, quod maxime illustravit Ant. Ponce Sanctacruz, & quod ex haereditariis morbis à Matre filio communicatis, & alia plura videnda, si liber videre, apud Galenum praecipue in lib. de femine, quibus argumentis persuasi Medici penè omnes conclusionem hanc pro indubitata jam habent, semen femininum necessario requiri ad generationem, nec solum materialiter, sed active concurrere. Fuerunt certe nonnulli Medici, qui particulares quasdam opiniones in hac re habuerunt, & à communi desceverunt, ut Alex. Bened. qui semen femininum ad ignobiliora membra spermatica efformanda necessarium agnoscit; & Fab. Pacius, qui in lib. Method. Med. Galeni cap. 3. concessit semina ambo requiri ad generationem, sed voluit eorum utrumque esse materiale tantum generationis principium, effectivum vero voluit esse ipsius feminae, & utriusque calorem. nova certa opinio, sed quam ille multis rationibus non omnino respiciendi tueri conatur, sic & Petr. Garzia, ut infra dicam, voluit femininum semen habere facultatem generativam, sed imperfectam, neque ob id necessarium esse simpliciter ad generationem. Liddelius etiam Scotus, ut infra, necessarium credit esse femininum semen, non tamen habere activitatem, cui etiam opinioni videtur adherere Riol. Physiol. sect. 7. cap. 5. & in Arte curatua sect. 4. cap. 11. sed ego eorum, qui communissima opinioni adherent nonnullos maxime ex recentioribus recensabo, si ante dicam ex Theologis Scotum super 3. sent. dist. 4. q. unica non dubitare contra Aristotelem opinionem hanc tueri, cum magis in hoc credendum esse Medicis firmiter, quorum praecipui, qui ad mentem venerint, sequentes sunt. ac primo omnium praecipue Hippocrate, ex quo alii hanc opinionem desumpserunt, & ejus interprete Gal. praetermissis. Et. ferm. 16. cap. 6. Avic. 3. 1. cap. unico. sibi contrarius. Isaach. lib. 3. Theor. cap. 34. Hali abb. lib. 3. Theor. cap. 34. Savonarol. in pract. magn. tract. 6. cap. 21. rubr. 21. Ioan. Matr. de Grad. in nonum ad Almans. par. 2. cap. 29. Franc. Pedemont. sua pract. paric. 4. sum. summa 4. sectionis primae cap. 2. Valec. Tarantin. in Philon. lib. 6. cap. 10. Gordonius in Lil. 6. paric. 7. cap. 14. Fernel. Physiol. lib. 3. cap. 6. Capivacc. lib. 4. pract. cap. 5. (quamquam hic Aristotelem tueri conetur, quasi non ex professo contra veritatem sit) Trincavell. lib. 11. pract. cap. 17. Vellal. lib. 5. de fabr. human. corp. cap. 15. Valleriol. loc. commun. lib. 1. cap. 17. Malfaria lib. 4. pract. cap. 5. Cardan. lib. 2. contr. Med. tract. 6. contr. 18. Vellef. lib. 2. controvers. 7. Levin. Lemm. lib. 1. de oculi. nat. mirac. cap. 6. & saepe.

& saepe. Ioan. Heurnius de morb. mul. cap. 5. Mercat. lib. 1. oper. suor. par. 4. art. 3. quaest. 97. Hucher. de sterilit. lib. 3. tit. de conceptione. Mercurial. lib. 4. de morb. mul. cap. 5. Vid. Vid. de tuen. val. membr. lib. 13. cap. 5. Rotar. in contr. Gal. num. 134. Andr. Laur. Anatam. lib. 8. quaest. 5. Plater. de funt. lesion. lib. 2. cap. 19. Eustach. Rud. Art. Med. lib. 2. cap. 59. Reald. Cosumb. Anatom. lib. 12. in princ. Balduin. Ronf. de num. vit. primord. cap. 2. Raphael Moxius in Meth. med. morb. mul. lib. 2. cap. 1. Ferdin. Eustach. lib. 2. Theor. 38. Varand. de aff. mul. lib. 2. cap. 1. Petr. de Peramat. de femin. pag. 59. vers. sed jam quis hic ferat. Aristotelem. Ioan. Bapt. Siva. controvers. 79. Roderic. à Castr. de Nat. mul. cap. 3. & 4. Petr. Carzia Carrer. in 1. 1. Avic. doct. 2. sum. 1. cap. 2. disp. 35. cap. 6. (licet hic velit semen femininum habere quidem facultatem generativam, sed imperfectam, unde disp. seq. cap. 4. non vult idcirco esse simpliciter necessarium ad generationem) Liddelius Scot. Physiol. lib. 1. cap. 13. qui tamen activitatem feminine semini denegat. Stephan. Roderic. Castron. de Meteor. Microc. lib. 2. cap. 1. 6. & 7. Ant. Ponce Sanctacruz de Hippocrat. Philosoph. tex. 73. Nic. Nancel. in Analog. Microc. ad Macro. cap. 8. problem. 4. & alibi, Emil. Paris. de Microc. subtil. lib. 1. exerc. 6. Daniel Sennert. Inst. Med. lib. 1. can. 10. Sebastian. Nafus in spec. med. par. 1. sect. 2. tract. 1. digest. 1. quaest. 3. Ioan. Gallego de la Serna. de princ. gener. lib. 1. cap. 25. & saepe. qui tamen efficientiam negat feminino semini. acerrime etiam ex recentioribus Philosophis hanc opinionem tueri. Hartad. de Mendoz. de Gener. & corr. disp. 2. sect. 5. subsect. 1. & saepe. quae & nonnullorum antiquiorum Philosophorum fuit, ut Pythagora, Democriti, Epicuri, recte Plut. de Plac. Physiol. lib. 5. cap. 5. unde Lucret. lib. 4. Epicuri sententiam secutus.

Et muliebri oritur parvo de femine saeculum,
Materisque matres existunt corpore creti,
Semper enim partus duplici de femine constat,
Atque viri simile est magis id quodcumque creatur

Ejus habet plus parte aqua, quod cernere possis,
Sive virum soboles, sive est muliebri origo.

Neque delinquit Iureconsultis quos pro hac opinione adducam, ut est ex Canonistis Sanchez lib. 7. de Matr. dis. 92. num. 9. Pontius ibid. lib. 10. cap. 11. num. 3. Diana Miscell. tract. 3. resolut. 38. & alii plerique Torreb. Demonolog. lib. 2. cap. 44. num. 4. Carranza de Part. cap. 20. quaest. 1. in Miscellan. Sed jam ne tadio Lectorem tam proluxa auctororum recensione, alios tum Medicos tum Philosophos tum etiam Iureconsultos huic opinioni addictos continebo, & contrariae fidentes nonnullos enumerabo. habet enim contraria sententia Aristotelem auctorem praeter alios antiquiores Philosophos, unde non mirum si aliqui tanti viri auctoritatem sequi destinauerint. sunt autem D. Thom. 3. par. 9. 31. art. 5. ad 3. Averr. 1. de Gener. anim. cap. ult. Avic. lib. 9. de Animal. cap. 1. & lib. 15. ejusd. cap. 3. (licet sibi contrarius videatur, lib. 3. Canon. fen. 21. 11. 1. cap. 2. & alias concedat feminas verum semen habere, sed efficientia orbatum) Soran. apud Orbal. lib. 24. Collect. cap. 31. & in Hagog. si modo idem auctor est, cap. 16. Concilia. differen. 37. Tadd. Hag. Ioannit.

cap. 10. Vgo Senen. 2. Tegnic. de Testib. tex. 1. Alex. Bened. lib. 24. Pract. cap. 1. licet in lib. 1. de hist. par. cap. hum. cap. 23. ex muliebri femine ignobiliora membra spermatica formari dicat. & ultimo loco Prosper Martian. in 1. de morb. mul. sect. 1. vers. 411. qui tanti facit Aristotelis rationes, ut ob eas in hoc à suo Hippocrate discedere cogatur; omittam autem alios recensere.

Sed argumentis in contrarium allatis satisfacere necesse est, satisque erit id de potioribus praestare; nam plerique ex citatis auctoribus plenissime singulis satisfecerunt. Primo ergo argumento dicimus, semen femininum concurrere ad generationem ut agens, & ut materiam; & licet masculinum sit praecipuum agens, est tamen per se impotens ad generandum, nisi feminine affocietur; neque ob id dici potest hoc modo dari duo agentia, duasque materias unius ejusdemque generationis, & effectus, quia femininum unumquodque ex se agens est incompletum, & parziale, & materia incompleta, & defectuosa seminalium membrorum, ex commixtione autem utriusque fit unum agens completum, totale, ac perfectum, aptumque ad generandum. utrumlibet enim semen ex se ab utero exceptum nihil quicquam operatur, donec & quousque ambo simul tota per tota miscantur, nam tunc fit unum conflatum ex ambobus, quod unum agens est, una materia. ejus rei manifestissimum signum est, quod ex utroque femine generatum non vix tantum feminis naturam sequitur, sed utriusque, cum mixtum illud ex duobus unum quid factum sit, quod peculiare effectus sibi quidem proprios, ab hoc tamen aut illo feminine communicatos, producit. Itaque videmus indies, filios aliquando in externa figura referre patrem, & tamen à matre habuisse morbos quosdam haereditarios, & è contra aliquando in externa figura referre matrem, in moribus referre matrem; interdum etiam ab utroque habere haereditarios morbos, & in figura neutrum referre; & sic mille modis pro mixtionis ratione genitorum proprietates variari poterimus, modo ab uno, modo ab altero ex feminibus communicatas, pro alterutrius exuperantia.

Quod additur, femininum nempe semen non posse in generatione concurrere tanquam materiam, quia superfluum est, concurrentibus ut materia foetus ipsi mensuris, declaratione indiget; si enim loquamur de materia partium sanguinearum, veritatem habebit (licet non meniturus, sed optimus sanguis fit vera materia nutritionis foetus) si vero loquamur de materia partium spermaticarum fallium est; nam sanguis quidem sanguinearum partium proportionata materia est, semen seminalium; itaque duplicem dari materiam generationis respectu diversarum partium, neque inconueniens, neque absurdum est, sed omnino necessarium, quando unam singulis inservire non facit possibile.

Difficultatem illam, quod feminae absque voluptate illa, quae ex feminis ejaculatione fit, aliquando concipiant, quod arguit etiam eas concipere absque femine, alias diluere tentari lib. 3. tit. 1. quaest. 5. sed Emil. Paritan. post. alios nobil. exercit. lib. 1. cap. 2. exerc. 7. ex Anatomes inspectione demonstravit, & rationibus confirmavit, quomodo contingat, ut mulieres sine voluptatis sensu, & absque eo quod feminis proprii ejacul. Y y 4 cu

ulationem perferant, concipere soleant, quod etiam mirum non esse dicit, cum etiam viri licet raro admodum, sine voluptate semen ejaculentur. sed certe in his, quae absque voluptate concipiunt, plura concurrere necesse est, ut id eo modo contingat, feminis nempe tenuitatem, locorum frigiditatem, sensus hebetudinem, viarum brevitatem, earundem amplitudinem, feminis non usque ad eas partes, in quibus delectatio, & titillatio viget, excursum, sed ad ipsum uteri corpus per eisdem coronam momentaneam transmissionem, aliquando etiam excedentem delectationem ex fricatione, & receptione feminis virilis voluptatem in emissionem proprii feminis obscurantem, & alia nonnulla, de quibus vide peculiariter praedictum Parisianum loco cit. sed inter omnia placet responsum, quod semen femineum tam praesto est aliquando in vicinissimis uteri vasis irruenti femini masculo, ut nullo pene motu opus habeat, ut cum illo permisceatur, unde nulla exciatur tunc voluptas, quia voluptas ex titillatione fit, titillatio autem ex motu, est etiam quando semen non confertim movetur, sed veluti stillans à superioribus partibus, & tunc quidem nullam seculum affert ejus excretio voluptatem; nam videmus in Gonorrhæa etiam, in qua semen non confertim, sed quasi stillans excernitur, nullam fieri voluptatem.

Ad ultimum Aristotelis argumentum multi multa dixerunt, sed inexpugnabile illud crediderunt 33 Peripatetici, satisfecisse certe debuit, quod à nonnullis dictum est, femininum unumquodque per se esse tantum partiales causas tum materiales, tum effectrices conceptus, conjuncta unam totalem, ac perfectam efficere generationis causam, consentaneum ergo est, quod quamquam femineum semen sit causa effectiva, & habeat promptam materiam, nempe & ipsius feminis, & feminei sanguinis, & locum foriatur convenientem, & oportunitatem ad generationem, tamen cum partialis tantum causa sit, non sit sufficiens ad gerendum. Sed ad hanc difficultatem Peripateticorum, quae validissima censetur, unico verbo respondeo, Cur, inquit, si femina utrumque principium habet activum, & passivum suo proprio semine 34 in utero non generat? quia, inquam, semen suum non concipit, at forte rides hanc responsum, sed audi, risum amovebis. Etiam si utrumque semen active concurrat ad generationem, masculinum tamen majorem vim agendi habens exciatur feminei feminis activitatem. Sed circumscripta hac potiori activitatem masculi feminis, & dato etiam, quod parem activitatem habeat femineum, & quod etiam possit ex se habere principium motus, adhuc non generaret, quia à femina non concipitur, conceptio enim fit attractione feminis masculi ad intra uteri cavitatem, & eisdem necessaria retentione. Modo uterus, femine proprio ad expulsionem propeante, illud non attrahit, (attrahunt enim partis id, quod eis deficit) immo expellit per vasa ejaculantia ad uterum, ut obviam factum masculo femini, & cum illo commixtum generationem coadjuvet. unde hinc providentia Naturæ elucet, quae unico uteri motu, nempe attractione, simul & semel ad duo diversa femina contrario motu se moventia recipienda utitur, dum enim uterus in sese ad superiora recolitur attrahendo semen masculinum, in-

simul femini femineo ab intro adveniente occurrat, ipsumque simul cum masculo excipit, attrahit, retinet, fovet. deficiente ergo femine masculo, nulla fit ab utero attractio, nulla item retentio feminis, immo expulso proprio, & sic nulla unquam succedit ex solo femineo femine conceptio, etiam si solum ad conceptionem sufficeret.

Remanent autem adhuc nonnulla argumenta Scaligeri, Fabii Pacii, & Properi Martiani, quibus necesse esset satisfecisse. Sed ad Scaligeri argumenta satisfaciunt Gerzias in Avic. fen. 1. lib. 1. doct. 7. summ. 1. cap. 2. disp. 36. cap. 5. sub num. 13. & Ant. Ponce Sanctacruz de Hippocrat. Philos. sept. tex. 73. in digressione contra Scaligerum, ubi etiam Fabii Pacii argumentis satisfaciunt. contra quem etiam facit, quod si ejus opinio esset vera, etiam calor extrinsecus posset habere in generatione vim agentis, quod est absurdum; siquidem ovipara sola incubatione pullos excludunt, imo & calore Solis & ignis pulli excluduntur, ut patet, at quomodo se habet calor uteri ad femina concepta in viviparis, eodem modo se habet calor incubantis ad ova in oviparis; sed calor uteri habet, secundum hanc sententiam, vim agentis, ergo & calor incubantis, imo & ignis & solis, & alterius etiam Maris diversi à propria specie erit agens in oviparis, quod videtur maxime absurdum. Ad argumenta Martiani satisfaciunt plenissime quae contra Aristotelem adduximus, cujus ipse opinionem sequitur, cum tamen nihil de novo adducat, illud solummodo ab aliis nunquam memoratum attulit, semen feminis idcirco datum esse, ut in congressu os uteri clausum aperiretur, ita ut masculinum semen statim ingredi uterum posset. sed pluribus agere contra hanc opinionem superfluum est, illud tantum non conticebo, quod cum mulier semen milles emitat, antequam semel concipiat, certe si semper os uteri aperitur, ut semen deglutiat virile, alterum ex his subsequi necessarium est, aut virile semen retineri absque eo quod concipiatur in ipso utero, aut uterum de novo aperiri, ut excidat; non primum absque dubio, quia semen virile non conceptum corrumperetur. non secundum, quia oportet os uteri ex alia, ac nova feminis emissionem aperiri, aut saltem ex fluxu menstruo, & sic idem inconveniens sequeretur, quousque alterum ex his succederet, nam, ut ille addit, uterus à se ipso non aperitur.

Sed his omissis adhuc non desunt aliae difficultates ex uberrimis sacrae Theologiae fontibus pullantes, quae communem Medicorum opinionem dubiam facere possent. Si enim velimus de Naturæ necessitate feminam cum proprio semine concurrere ad generationem, cum ex Theologica veritate sic notissimum, Beatissimam Virginem fuisse veram, ac naturalem Christi Domini Matrem, ut omnes aliae Matres sunt, sequeretur inde, illam neque in conceptione, neque post conceptionem mansisse virginem, quod est falsissimum, nam si feminis effusione, carnalique veneris voluptate est polluta, virginitatem in ipsa feminis effusione amittit, quia saltem materialiter, virginitas consistit in immunitate à delectatione venerorum per feminis resolutionem D. Thom. 2. 2. q. 152. ar. 1. in corp. at Maria Christi Domini Mater non mente solum, sed etiam corpore, ante, & post, & in ipsa conceptione semper Virgo manit, corporisque etiam puri-

puritatem ab omni vel imaginario inquinamento carnali illibatam servavit; inconveniens ergo, ac indecorum est adfructuere, illam proprium semen in Jesu Christi Domini incarnatione praestitisse; ergo contrarium erit verius, & cum illa, quae vera Mater fuit absque proprio semine naturaliter conceperit, poterunt etiam aliae matres absque semine proprio concipere. Ad haec respondent, ac unquamque satisfaciunt nonnulli ex Theologis, qui Medicorum opinionem tanquam veriore sequeuntur, ut Scotus in sent. dist. 4. quest. unica, & alii citati per Petr. Vrad. de Mendoz. de Gener. & corrupti. disp. 2. subsect. 3. & aliqua etiam attulerunt ex nostris Peramat. in Appendice ad lib. de hom. procreat. ubi de Incarnatione, & partu Domini Nostri disputat. Gazias in prima 1. Avic. doct. 7. summ. 1. cap. 2. disp. 35. cap. 5. & Ioan. Gallego de la Serna de princ. Generat. tract. 1. lib. 1. cap. ult. Dicam tamen ipse etiam circa hoc quae tanquam Medicus eloqui non prohibeatur, ut ad propositam difficultatem satisfaciam.

37 Christi Domini incarnatio partim miraculosa fuit, partim autem naturalis, quae autem peculiariter habuerit miraculosa, quae vero naturalia abunde docet proxime citatus. Petr. de Peramat. in ea Appendice ad hoc dicata; ego ad hoc particulare punctum devenio, utrum Maria Virgo semen in ejus conceptione praestiterit, nec ne. dico igitur hoc aut naturaliter processisse, aut supranaturaliter. si supra naturaliter, non esset quaerendus modus, vel si quaerendus modus esset, hoc ad Theologos, non ad Medicos pertineret. Supplente enim Spiritu sancto activitatem feminis virilis, in quamcumque materiam libuerit, quam semen mulier praestaret, agere potuit absque ullo motu, qui posset carnali voluptate virginitatem commaculare.

Quod si hoc naturaliter processit non aliter successisse potuit, quam in naturalibus aliis conceptibus eveniat, quantum est ex parte feminis mulieris, quod aliquando ita praesens est in vicinissimis uteri locis, in quibus fit conceptio, ut nullo motu opus sit ad hoc; ut cum virili semine misceatur, & sic absente motu, cessat titillatio, ex qua voluptas emergit, unde est, quod aliqua, ut jam diximus, absque ulla omnino voluptate, quantum est ex parte expulsionis proprii feminis, concipiunt; quod & naturaliter in sacratissima Virgine Salvatorum Mundi concipiente evenisse potuit. & sic etiam si proprium semen praestiterit, nulla tamen labe illibatam corporis, mentisque Virginitatem violavit.

Iam vero ad rem nostram redeantes, de modo, quo reddi debet conjugale debitum verba facienda. & Canonistae quidem, ut summo Armilla verba 38 de debito conjugale. Sanchez de Matrimon. lib. 9. disp. 16. num. 1. & alii, naturalem modum dicunt esse, ut mulier sit succuba, vir incubus, omnem autem deviationem ab hoc modo adversari aequaliter Naturæ. sed advertit, hos non aperte se explicare, nam mulier potest esse succuba, & vir incubus; & tamen deviare à naturali modo; ut si mulier prona jaceat, non supina, oportuit ergo melius se explicare dicendo, naturalem modum concumbendi esse, ut mulier supina succumbat, virque illam supergreditur. ut summa Ang. 1. p. verbo. debitum conjugale num. 25. & Silvestr. verb. debitum conjugale. num. 6. 1. par. licet Mercurialis;

quem retuli alias lib. 3. harum quest. tit. 1. quest. 7. num. 22. ex Lucretio, & Paulo voluerit. lib. 1. de morb. mulier. cap. 2. lib. 1. variarum lect. cap. 6. 39 naturalem modum venerem exercendi esse, ut mulier prona à viro ineat, nam quod mulier supina virum admittat, magis voluptuosum esse voluit, minus tamen secundum Naturam, quia homines hac ratione venerem exercent stultes magis voluptati, quam ex mutuis oculis, & amplexibus, & mutua inspectione percipiunt, quam generationi, quae facilius succedit, ut cum citatis auctoribus credit, prona jacente muliere, & hoc pacto inita, quam si supina ineat. Verum enimvero hanc horum Doctorum opinionem alias loco citato consutatimus, & ex Anatomicorum quorundam auctoritate demonstravimus, nequaquam verum esse, quod facilius sequatur conceptio eo modo, quam hoc, quo communiter homines utuntur; corruit ergo, corruente hac ratione, etiam erronea haec opinio. non est tamen negandum in aliquibus casibus interduum facilius sequi conceptionem illa ratione congruediendi, quam consueti, nam experientia docuit Medicos, aliosque, nonnullas feminas, quae per multos annos ob Matricis depravatum suum non conceperant, aut alia etiam ex causa, ea ratione in venerem congressas, concepisse, patientes nempe se pronas per posticam partem à viris superiniri, quemadmodum & aliae sunt, quae facilius in uno, quam alio situ congruedientes concipiunt, quod facilius virile semen excipiant, ut deinceps, cum occasio dabitur adjiciam. haec tamen in quibusdam particularibus per accidens eveniunt, nobis autem quaerendus est naturalis modus exercendi coitum; neque dubium est illum esse magis naturalem, qui magis facit ad conceptionem, cum fini à Natura intento consequendo magis adjumento sit. hunc ergo modum post Hippocratem, aliosque vetustiores tradunt nonnulli Recentiorum, ut Mercat. lib. 3. de 41 Mulier. & Pregn. aff. cap. 6. Roderic. à Castr. lib. 2. de Nat. mul. cap. 5. & alii, est autem hujusmodi, ut Mulier in dorsum jaceat divaricatis, acclivibusque cruribus, capite tantisper dimisso, & vir illam sic jacentem superineat, hoc enim pacto modice elevato uti osculo, ipse uterus promptus ad se virile semen allicere potest, & vir etiam facilius prope ipsum uteri osculum internum semen effundere, unde facilius succedit conceptio. quaecumque ergo alia coeundi ratio aut in totum, aut ex parte impedire potest conceptionem, impediendo aut ne facile virile semen excipiat, aut ne virile membrum tam de facili ad uteri interiora pervenire possit, aut alia quadam ratione, recedat à naturali ratione, & habeat semper ob id in se delictum ex DD. nonnullorum opinione D. Thom. in 4. sent. dist. 33. ex quo summa Silvestr. verbo deb. conjug. num. 7. summa Ang. par. 1. verbo debitum conjugale num. 11. unde praeter allatas rationes, ex quibus coitus à postica parte celebratus impedit generationem tam insuper esse voluit Roderic. à Castr. ubi supra; quia vir non potest ob natium spissitudinem, & crassitiam ad uteri intimiora suo instrumento pervenire; quamquam veritas est, hoc nullo esse impedimento, nisi Natium spissitudo monstruosa esset, alias si mulier prona quidem ineat, in ventrem tamen non recumbat, sed super genaa facilius pervenit vir

vir suo membro ad uteri intimiora à parte postica, quam ab antica, unde, quantum est ex hoc, nullo modo impeditur conceptio Venerem hac ratione celebrando. Sed antequam ulterius progrediamur, queri potest; (licet hoc ad Canonistas pertineat) utrum deviatio ab hac naturali ratione concumbendi, etiam in his culpabilis existat, qui nullam omnino spem concipiendi habent, ut in Deceptis, aut in gravidis mulieribus maxime post aliquot menses, quando neque superfætationes ullum dubium esse potest. ratio dubitandi est, quia quocunque modo reddatur debitum, satisfit cuiunque Matrimonii fini, deviationem autem à naturali ratione celebrandi coitum intantum constat esse culpabilem, in quantum ex ea impeditur generatio. Pontius de Matrim. lib. 10. cap. 11. num. 2. ubi ergo nulla spes sit generationis, nihil interesse videtur, utrum hoc, aut illo modo concumbas, dummodo Natura non abutaris, quod esset crimen pessimum, nam, ut dixi, debito matrimoniali, & aliis, si quos fines Matrimonium præter proles generationem habet, absque dubio satisfacere videris.

Ego non ut sententiam meam in his proferam, sed per modum ratiocinandi ad hoc dubium dicere, quod quocunque deviatio à naturali ratione concumbendi nulla honesta ex causa fiat, sed ob voluptatem tantum, semper interveniat aliqua culpa, & moveat ex eo, quod etiam simplex coitus naturali modo celebratus, factus tamen sola voluptatis causa peccatum infert secundum aliquos DD. saltem veniale. Coninc. de Sacram. disp. 34. dub. 1. num. 12. quanto magis si illicito modo ob solam voluptatem coitus celebratur? quo tamen vel Galeno nostro teste lib. 6. de loc. aff. cap. 5. non est homini ob voluptatem utendum, licet contrarium sentire videatur Plutarch. in lib. de sanis. tnen. ubi Veneris finem voluptatem esse voluit; sed hic finis irrationalis medius fidius est, neque verus, nam coitum Natura non instituit ad delectanda animalia, sed voluptatem in coitu posuit, ut allicerentur ad coitum propter generationem Isaac. lib. 5. Theor. cap. 107. Halyabb. lib. 5. Theor. cap. 36. sed quicquid sit in cæteris animantibus, homini certe in uxore ex usu Matrimonii voluptas minime quaerenda; nam bene Verus Imperator referente Cælio Rhodigin. lict. antiq. lib. 28. cap. 13. uxoris nomen dignitatis, non voluptatis nomen esse asserbat. relinquam nonnullorum Canonistarum opinionem, de qua summa Armilla verbo debitum conjugale, quod qui non naturali concumbendi modo utuntur videntur abuti Matrimonii Sacramento, de hac enim ratione ad me non pertinet considerare.

Licet autem unicam tantum coeundi rationem esse dixerim proprie naturalem ex eo, quod ea præ cæteris ad conceptionem facere videatur, non est tamen hoc ita accipiendum, ut quemadmodum superius annuimus, omnis deviatio ab ea omnino generationi oblit, quia evenit aliquando, ut conceptio ex coitu naturali ratione celebrato nullo modo succedat, succedat autem alia quacunque ratione, unde eam ob causam determinatam à Canonistis est, nullam habere in se culpam deviationem à naturali modo coeundi ad hunc finem, nempe ut facilius succedat conceptio. Brunell. de Matrim. concl. 8. num. 13. Sanchez de Matrim. lib. 9. disp. 16. num. 7. Alphonf. Vivald. in Candel. av. par. 1. tit. 17. rubr. de redd. debito conjug.

num. 11. quemadmodum neque culpabilis hæc eadem deviatio est quocunque ex alia honesta causa fiat, ut iidem DD. dicunt locis citatis, veluti ad evitandum abortum, vel cum non licet ob corporum dispositionem assuetam ratione coitum exercere. hoc autem in tantum esse verum dicunt, quod etiam si talis coeundi ratio impediret, ne mulier totum virile semen suscipere posset, tamen dummodo ex causa fieret, non esset peccatum, quia non impeditur generatio, dicunt enim cum Medicis, quod ex parte tantum feminis succedit conceptio. summa Armilla par. 1. verbo deb. conjug. sum. Silvestr. par. 1. verbo deb. conjug. num. 6. in fin. Sanchez ubi supra num. 5. Diana resolut. moral. par. 3. tract. 4. resolut. 204.

Adverte tamen hic neutquam veram esse Canonistarum, ex Alberto, summa Silvestr. & Sanchez, aliorumque opinionem volentium generationem in nulla coeundi ratione impediri, dummodo coitus in naturali vase celebretur; prudenter autem eam rejicit Pontius de Matrim. lib. 10. cap. 11. num. 2. & Medicorum sententiam se in hoc remittit, nam simpliciter loquendo omnis deviatio à tradita illa naturali ratione conceptionem aut in totum, aut ex parte impedire potest, licet per accidens interdum eveniat, ut eadem deviatio à naturali ratione conceptionem coadjuvet, alias aut prohibendo omnimodam vasorum approximationem, aut os uteri constringendo, aut contorquendo, aut à suo situ dimovendo, aut virile membrum cogendo extra opportunum locum semen effundere, aut alio quocunque modo hæc deviatio conceptionem impedit, quemadmodum eandem ob rationem cum vel mulieris hebitus, vel uterus non naturali modo se habet, juvat conceptio ex mutatione modi naturalis. sic ventre alterutrus, vel amborum conjugum nimia pinguedine turgente, mulierem à parte postica inire idcirco conceptio impeditur, quia à parte antica inire impedit approximationem convenientem membrorum, & feminis proventum ad uterum, à parte autem postica facilius approximat, & promptior semina ad uterum accessit. sic etiam ubi uterus descendat, is idem situs magis facit ad conceptionem, quia muliere in faciem prona jacente sublati lumbis uterus in suum locum reverti potest, & sic facilius sequitur conceptio. eodem quoque pacto utero in alterutrum latus vergente, prodest in adversum latus jacentem mulierem comprimere, licet conjugibus hoc modo, in latus scilicet congradientibus alias difficulter, immo vix ullo modo sequatur conceptio, quia semen in collum ipsius uteri effunditur, ut dicit Roderic. à Castr. de Nat. mml. lib. 3. cap. 5.

Sed præterquam quod, ut dixi, ut plurimum mutatio modi naturalis concumbendi impedit generationem, sunt quidam concumbendi modi, qui non solum conceptionem impediunt, sed sanitati maximo opere efficiunt, quod quidem concumbentium culpam graviolem facere fortasse non erit dubium, tam ultro autem processit conclamata hominum lascivia, ut nulla propria sanitatis ratione habita, non contenta iis, quas natura immiscuit in coitu voluptatibus, majores sua malitia quaesiverit, unde non uni, aut alteri, quos forte ipsa Natura dicere potuit, modo concumbendi acquievit, sed multiplices advenit potius silentio contegendos, quam summo cum pudore detegendos. jam

jam vero Cyrenem meretricem duodecim concumbendi modos habuisse, unde Doddecamehani dicta sit, ex Aristophanis interprete referunt Cælius Rhodig. lib. 14. cap. 8. Anclor in Adagio, & Traga. de Leg. Comub. Glof. 1. par. 1. num. 97. ex Suida, qui & Elephantidem quandam modos, & figuras, specielque, & formas descripsisse, & concubitum schemata depinxisse narrat, quibus Tiberium Imperatorem cubicala exornasse, tradit Sueton. in ejus vita, cap. 43. & de aliis etiam vide apud ipsum, ibid. sed perditam quorundam hominum petulantia superiori sæculo huic rei ita studuit, ut de illis verificari potuerit Ovidii dictum lib. 1. de Art. aman.

— Venerem jungunt per mille figurat.
& illud Martialis lib. 12. num. 43.

Sunt illic Veneris nove figura
Quales perditus audiat fuitur.
& utinam hæc in præsentiarum non magis, quam alio quovis tempore vigerent, fortasse non magis difficile fuit antiquitas, quam nunc sit enarrare.

— quibus verbis concumbat quisque, modis quoniam autem de his non absque pudore inviti loquimur, non tamen absque summa necessitate, pro Canonistis enim à nobis decidendum est, quinam modi concumbendi magis, aut minus generationem prohibeant, qui item magis, aut minus sanitati noceant, ut ipsi deinceps determinent quantum concumbentes, & quando peccent.

Naturali itaque modo jam demonstrato, dicendum est ab eo omnium minime recedere, nihilque sanitati obesse coitum, in quo mulier instar Quadrupedum initur prona jacens elevatis cruribus; magis autem conceptio obstitit, & magis item sanitati mulieris obest, cum illa in ventrem jacens demissis, extensusque cruribus venerem exercet, pectori enim, & respiratio mulieris situs hic inimicus est, eo maxime in actu, in quo mulier multum se exagitat, atque ut Lucret. lib. 4.

— exosato cur omni pectore finctus.
vir autem non potest ob natium mutuum compressionem, & spissitudinem membro ad uteri intimam penetrare. Conceptionem insuper impedit, & viri sanitati insidiatur, si modo quidem consueto concumbat, sed vir aut alterutrum, aut utrumque uxoris crus propriis brachiis elevet, atque sustentet, præterquam quod enim laborem adauget, ejus semen non recta ad uteri internum osculum, sed ad superiores colli ipsius uteri parietes ejicitur. Hinc sequitur concubitus in latus, qui etiam si nihil obesse alterutrus sanitati videatur, conceptionem tamen omnino impedit, sive ille ab antica parte, sive à postica fiat; nullam enim in hoc differentiam agnosco quantum pertinet ad faciliorem, vel difficiliorem conceptionem, ventris enim exuberantia ab una parte, Natium ab altera, & compressio subjacentis partis à superiori prohibent necessariam vasorum approximationem; situs autem uterum in latus concideret cogit, ac ipsius osculum constringit, ita ut minus prompte virile semen possit excipere. ex quo patet magis recedere huic modum à naturali, quam Canonistæ putent, qui parum recedere existimant. Summa Ang. p. 1. verb. deb. conjug. num. 25. Sum. Silvestr. p. 1. verb. deb. conjug. num. 6.

Subsequitur concubitus factus utrisque stantibus, in quo conceptio impeditur, & sanitas deri-

menti plurimum elicit. impeditur conceptio, quia os uteri & constringitur, & nimis extenditur, ut dicit Roderic. à Castr. loco cit. sanitas labefactatur, quia cum coitus per semetipsum hominem debilem faciat, quocunque erectus hominibus sit, majorem multo affert lassitudinem. Oribal. ex Rufo lib. 6. Collect. cap. 38. præterquam quod disponit corpora ad articulares morbos, & ad plerisque alios, unde crediderim si ulla culpa intervenit in mutatione modi, multo majorem (licet contra videri possit) ex hoc concumbendi modo conjuges incurrere, quam ex ullo eorum alio, quos jam tradidimus. Sed & coitus qui sedente alterutro ex conjugibus, vel utrisque sit, laboriosus est, & conceptioni contrarius, nam sedente muliere internum uteri osculum constringitur, & vasa, seu instrumenta generationis debite conjungi non possunt; sedente autem viro, eadem inconvenientia subsequuntur, quæ mox addemus numero proximo, sedentibus autem utrisque eadem inconvenientia adaugentur. Omnium maxime & generationem impedit, & noxius sanitati viri concubitus est, cum mulier virum inuit, nempe cum vir succubus est, mulier incuba, Avic. 20. 3. tract. 1. cap. 11. Raf. 24. Con. in. cap. 1. præterquam multos enim morbos, qui inde sequi possunt, nullo modo conceptio est possibilis. Neque ullam veritatem habet, quod mulieres concipere possint etiam membrum virile non intret per ventris claustra ob uteri facultatem attractricem, ut voluerunt Canonistæ decepti omnino ex eo, quod sibi pervaserint ex semine projecto in balneo, aut in lecto absque concubitu mulieres aliquando concepisse, quod est ridiculum, & alias à me confutatum; itaque hic modus uti à Medicis præ cæteris ad corporis salutem improbat, ita præ cæteris ob salutem Animæ à Canonistis videtur damnandus, quia omnino impedit proles generationem. Vnde videndum an bene determinaverit Vugarell. in addis. ad sum. Ang. verbo debitum conjugale. num. 25. litt. b. ex Asten. in hoc modo concumbendi eo quod nec mulier est apta ad semen suscipiendum, nec vir ad insundendum intervenire, peccatum mortale.

Et ex his apparet minus recte Brunellum de Sponf. & Matrim. concl. 8. num. 13. sum. Angel. par. 1. verbo debitum conjugale num. 11. sum. Silvestr. verbo debitum conjug. num. 6. aliosque plures Canonistas determinasse qualisnam modus deviat à naturali concumbendi ratione; nam cum deviatio à naturali modo tanto sit magis contra Naturam, quanto promptius impedit conceptionem, ut elicitur ex D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 12. Less. de lust. & Jur. lib. 4. cap. 3. dub. 12. num. 89. absque dubio modus, quadrupedes utuntur, minime deviat à naturali modo, quia minus impedit conceptionem, ut jam probavi, contra autem lateralis concubitus parum quidem deviat à naturali modo secundum figuram, sed maxime deviat quoad finem in concubitu intentum, quia ex eo difficillime, aut nullo modo sequitur conceptio. Brunellus tamen, & alii Canonistæ, qui, cum Medici non essent, nesciebant qualis modus magis, aut minus conceptionem impedit, attendebant tantum ad externam figuram, & sic voluerunt concubitum illum belluarum more omnium maxime esse contra Naturam, quod ex dictis falsum esse constat.

S V M M A R I V M.

- 1 Coniuges excusantur à redditione debiti, si ea in propria salutis detrimentum sit futura.
- 2 Venus si quis alius labor firmas requirit vires.
- 3 Quæ Naturæ sint magis, aut minus veneri idoneæ.
- 4 Venerem Melancholicis prodesse, quomodo veritatem habeat.
- 5 Morbus ex Pituita venus quomodo conferat.
- 6 Quæ etates veneri sint magis, aut minus idoneæ.
- 7 Principum partium discretio quomodo à Veneris usu prohibere hominem possit.
- 8 Mulieres magis quam viri ætate venerem appetunt.
- 9 Anni temporis conditio quomodo virum prohibere possit à coitus usu.
- 10 Quodnam tempus veneris usui magis, aut minus idoneum.
- 11 Coitus quando exercendus, aut vitandus.
- 12 Inanitione quando coeundi possit esse noxia.
- 13 Ieiunare an teneatur qui debitum reddere debent.
- 14 Coniux non potest se ita jejuniis macerare, ut impotens ad debitum reddendum inde fiat.
- 15 Qui jejuniavit an teneatur reddere debitum.
- 16 Labor quomodo excuset à reddendo debito.
- 17 Morbus est ex præcipuis causis impediens debiti redditionem.
- 18 Coitus non præsumitur in valetudinario.
- 19 Coitus ad sanationem confert, & est causa curatio mulierum aggruendum.
- 20 Morbi ex pituita quando præbeant legitimum impedimentum non vitandi coitus.
- 21 Detrimendum, quod timetur ex coitu debet esse notabile, ut excuset.
- 22 In frequentata debiti redditione sufficit morbus levisissimus, ut excuset, contra in rariori.
- 23 Febres, & morbi cum febre à redditione excusant.
- 24 Dolores omnes insignes à debiti redditione legitime excusant.
- 25 Morbi per circuitus revertentes, si sint notati digni, excusant etiam in eorum intermissione.
- 26 Nervorum morbi qui excusant.
- 27 Morbi somnolenti, & insanæ quando excusant.
- 28 Qui morbi Oculorum, & Aurium excusant.
- 29 Qui morbi pectoris excusant.
- 30 Qui morbi partium naturalium excusant.
- 31 Morbi Renum qui excusant.
- 32 Veneria quæ excusant.
- 33 Tumores qui excusant.

De his, quæ virum à redditione debiti excusare possunt ex parte sui.

QVÆSTIO II.

EX præcedenti quæstione patet, quod quamquam Coniuges ex iustitia teneantur sibi invicem reddere matrimoniale debitum, tamen excusantur, quandocumque reddidit futura est cum propriæ salutis periculo, unde non solum non tenentur eo casu reddere, sed reddendo, & exigendo mortaliter peccant, Pontius de Marim.

lib. 10. cap. 14. num. 2. & 3. & quia ad Medicum solummodo spectat dijudicare, quandam coitus possit esse ita noxius, ut notabili discrimini coeuntes exponat, circa hoc iure optimo Medicus venit consulendus. Pontius ubi proxime num. 3. is enim causus, quæ maxime impedire possunt veneris usum investigans, multum Canonitas iurare potest in determinando, quanam legitime excusent, quæ non.

Huiusmodi igitur causæ veneris usum notabiliter impediens, considerari possunt vel respectu viri, vel respectu mulieris, vel respectu utriusque. loquamur autem ante omnia de iis, quæ excusant virum reddere debitum uxori ex parte sui ipsius, dummodo ante omnia admoneamus, omnes hæc causas respicere magna ex parte virium robur, Venus enim, si quis alius labor, firmas requirit vires, præsertim in viro; itaque ubi vires ex coitu notabiliter labefactas iri suspicamus, jam præsens est legitima excusatio non reddendi debitum: vires autem vel ex sua natura debiles sunt, vel ex accidenti deiciuntur. Ex Natura quidem ut ob temperamentum, vel ob ætatem, vel ob insignem aliquam principis partis discretiam, vel ob inanitionem, vel ob inanitionem, vel ob laborem.

Quoad temperamta, quæ ipsas Individuorum Naturas dixeris, certum est, & admonent etiam Medici, ut Galenus, Orisbasus, Avicenna, & alii locis jam adductis, quod quemadmodum Naturæ calidæ, & humidæ veneri sunt maxime idoneæ, ita his contrariæ, nempe frigidæ, & sicca omnino veneri ineptæ, ut enim illæ sanguine multo, & semine abundant, & ob id validas vires habent, eodem quoque pacto hæc contrarias causas viribus sunt imbecillibus, qui ergo imbecilles habent vires, inquit Galenus apud Orisbas. lib. 6. collect. cap. 27. ii à veneris usu ad summam infirmitatem deveniunt. considerandum autem esset quantum, & quousque huiusmodi Naturæ sufficienter ad coitum, ita ut absque periculo saltem insigni possint debito satisfacere, sed certe non possunt particularia determinari, quamobrem in hoc uniusquisque proprias vires, & Medicum consulere debet, adnotando ea, quæ alias ex coitu, aut ex voluntaria, vel in somnis facta seminis evacuatione sibi acciderint, & quam ratione in hoc se habuerit; universaliter tamen hæc ita determinari possunt. Calidas, humidæque naturas omnium minime, frigidas, & siccas omnium maxime, ut diximus, à veneris usu lædi Averr. lib. 5. Collig. cap. 12. unde & respectu temporis, & respectu ætatis, & respectu laboris, & respectu frequentationis ipsius coitus, & respectu denique quarumcunque causarum illæ aut nihil, aut parum, vel multum excusari possunt. Calidæ, & sicca naturæ licet facile resolvantur, medio tamen modo se habent, quia sanguine abundant, multoque spiritu, & calore, unde facile quod facile deperdunt, recuperare sunt aptæ. Frigidæ, & humidæ, eo quod multo calore non abundant, his multo minus veneri sufficienter; quamquam autem ex ratione Aristoteles, & Rufus dixerint, venerem Melancholicis prodesse, qui tamen Naturæ sunt frigidæ, & sicca; ambigere licet; dici tamen potest, non his, qui à Natura, quod paucissimo calore sint dotati, sed his, qui ex accidenti, in quibus alias calor vigere potest, sunt Melancholicæ, Venerem prodesse, idem

Quæstio II.

De Debito Coniugali.

idem dubium etiam de Hippocratis, eiusdemque Aristotelis sententia insurgere potest, quod dixerint, coitum prodesse morbis ex pituita, nam si sic est, videretur etiam dicendum, Pituitosis naturis frigidis nempe, & humidis, quæ multa pituita abundant, venerem esse proficuum; verumtamen non idem est dicere, Venerem prodesse morbis ex pituita factis, & venerem prodesse Naturis pituitosis; nam pituitosæ Naturæ debili calore sunt præditæ, & modico sanguine abundant; at qui patiuntur morbos pituitosos, poterunt alias multo calore abundare, & sanguine, & vires integras fortiri, sic autem à Veneris usu juvari poterunt, evacuando per Venerem pituitæ copiam absque eo, quod viribus destituantur, aut proprium corpus nocua refrigeratione labefactent.

De Etatibus autem ita cum præcæditis Doctoribus determinandum, Iuventus quidem quod & spiritu, & calore, & viribus præ cæteris sit prædita, præ cæteris quoque veneris operibus vacare tuto potest; ab hoc autem tempore, quod in hoc negotio à vigesimo primo anno enumerare libet, quando jam corpus suum totale incrementum sortitum est, succedit procedendo usque ad quadragesimum, vel quadragesimum quintum, ætas vero, quæ huic succedit usque ad quinquagesimum, vel quinquagesimum quintum, medio modo se habet, ab hinc ita ætatem excusare dixerim, ut legitimum impedimentum præter reddendi debitum sit ex parte, aut saltem ex majori, ita ut si antea ætate quis reddere consueverit bis singulis hebdomadis, ab inde sufficeret reddere semel in mense, quod ab ulteriori redditione insigniter lædi possit; imminet enim huic ætati ex frequentiori coitu evidentissimum sanitatis periculum, sed tamen hæc nihil per se operantur, nisi simul vires cum ætatibus considerentur, nam, ut non semel diximus, Etates non annorum numero, sed virum robore sunt metiendæ. Verumtamen vero Etas, quæ Iuventutem præcedit, nempe ante annum vigesimum primum quemadmodum acutioribus veneris stimulis conflictatur, ita minus rationaliter, minusque discrete & exigere, & reddere debitum solet; illud tamen certum est, hanc ætatem eo magis veneris usu lædi, quo tenerior est, & idcirco in prima pubertate tanti æstimarem hanc rationaliter timendam lætionem, ut saltem ab iterata per singulos dies redditione jure excusari etiam robustiorem adolescentem posse crediderim; coitus enim tum temporis, cum nempe hircire, aut catulire, ut ajunt, homines incipiunt, & corporis incrementum impedire, & vires insigniter labefactare, & hominem ad multos morbos disponere potest. quin & imbecillum prolem, morbilique obnoxiam expectare ex huiusmodi horum frequentata conjunctione conveniens est.

Ab his considerandum est de Principum partium naturali debilitate; sit enim interdum, ut corporis quidem Natura, Temperamentum, & robur Veneris laboribus facile sufficiant, sed vel capitis, vel cordis, vel stomachi imbecillitas huic re mirum in modum obflare videatur, neque dubium est, naturales hæc Principum, vel præcipuarum partium debilitates, & constitutiones evidentem causam præbere posse concumbentibus, ut in difficilis, perniciosos, lethalesque earundem partium morbos labantur, legitimum ergo hæc ipsæ

impedimentum dabunt reddendi debitum, sed de his plura exarabimus, cum de morbis hanc eandem debiti redditionem impediens verba faciemus.

Iam vero ad ea, quæ ex accidenti eveniunt consideranda properemus, & primo loco se offert Anni tempus, circa quod illud ante ex naturalibus denuo adnotabimus (nam & alias adnotavimus) mulieres magis appetere coitum vigente ætate, quam alio quovis anni tempore, quod etiam ex Heliod. & Aristot. pluribus in locis præcipue vero lib. 4. Problem. cap. 26. & Plinio adnotavit ex Iureconsultis Tiraq. in leg. Connub. lib. 9. Glor. 1. par. 9. num. 125. & ardente præsertim Iyrio salaciores sunt, quando maxime viribus Viri languent; cum ergo tunc eventire facile possit, ut mulieres debitum frequentius exigant, videndum, an temporis conditio viris à redditione sufficienter excuset; dicendumque videtur, anni tempora aliquando in totum, aliquando ex parte excusare posse; nam in totum excusare potest ætas vigens, ut ardente canicula, unde dies caniculares determinantur, tunc enim ob summam virium imbecillitatem, & ob facilitatem earum resolutionem, & ob præternaturalem calorem facile conceptibile, summum imminet ex coitu periculum, in assuetis tamen hoc non habet ita locum, ut in totum excusari possit, sed maxima ex parte, ut si consueverit bis in die, non excusabuntur ab unica, vel repetita etiam redditione singulis hebdomadis durante ætate, ex hac enim notabile nocumentum non reportabunt.

Porro Medici, cum inter Anni tempora verum dixerint esse veneri aptissimum, cætera suspensa habuerunt, omnium tamen maxime æstivum ob caloris naturalis pauperiem, eoque facillimam resolutionem, virumque ut dixi, summam imbecillitatem; alia vero duo, hyemale nempe, & Autumnale, licet non utilia esse pronunciaverint, non ut æstivum tamen ab aliquibus vituperantur, licet plerique fuerint, qui non æstivum, seu Autumnale, præ omnibus damnandum esse ad hunc effectum existimaverint, quod & corpus imbecilli adhuc calore dotetur, & multis, variisque excrementosis abundet humoribus; & videtur quidem, quod quemadmodum coitus frigidis, & siccis Naturis est inimicissimus, sic etiam in Autumno, qui frigidus, & siccus sua natura est, magis quam in alio quovis Anni tempore nocuus futurus sit, quod si ita est, Autumnus non minus, quam Æstas à debiti redditione excusabit, licet vulgus contrarium persuasum habeat, in Æstatis enim fervoribus ab uxoribus recedunt, adveniente autem Autumno ad earum redeunt congressus juxta vulgatum proverbium. Ergo Hyemale tempus medio modo se habebit, ut non quantum vere coitu absque incommodo viri uti possint, nec ut in Ætate, & in Autumno excusentur.

Considerarunt porro Medici in hac ipsa re etiam particularia totius diei tempora, & quæ cum iis corporis eveniunt mutationes, ut an jejuno, vel pasto homini coitus magis nocuus, aut proficuum sit, an ante, vel post somnum celebrandus an vespere, cum quis ita cubitum, an de mane ante quam è lecto homo surgat sit conducibilior, nos Galeni, aliorumque Medicorum auctoritate ducti, dicamus, recentes, satietates, & ebrietates semper esse vitandas, periculum enim minatur.